

www.e-rara.ch

Flora Taurico-Caucasica

Marschall von Bieberstein, Friedrich August

Charkoviae (Kharkov), 1808-1819

ETH-Bibliothek Zürich

Shelf Mark: Rar 3542

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-17996>

Praefatio.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

P R A E F A T I O.

Prolatis imperante CATHARINA II, mare nigrum et Caspium versus Rutheniae finibus, Iberiâ PAULO I regnante in ditionem receptâ, rebus denique per Asiam, Auspice ALEXANDRO, PATRIAE PARENTE auctis atque stabilitis; his, qui naturae studio delectantur, vastior indies rerum minus cognitarum explorandarum campus patuit.

Et Tauriam quidem, antea naturae curiosis fere inaccessam, primus Vir Illustrissimus C. HABILIZZ sedulo peragravit et inclytæ hujus Chersonesi descriptionem euulgavit locupletissimam (*). Quem, interjecto nonnullorum annorum spatio secutus Vir Perillustris P. PALLAS, absoluto per Rossiae Australiora itinere, statim Sciagraphiam Historiae naturalis Tauriae (**), cum indice plantarum sponte ibi nascentium edidit, qui et Novis Actis Academiae Scientiarum Petropolitanae a. 1792 insertus est; mox praestantissimi Itinerarii (***) Partem secundam describendae Tauriae integram dicavit. Immo Vir Praeclarus, ab anno 1794, ad hunc usque diem, in Tauriâ degens, largam penum notatu dignissimarum omnis generis observationum comparavit: quarum alias Faunae Rossicae, alias Monographiis Astragalorum, Halophilorum, Pedicularium, partim euulgatis, partim proxime euulgandis commisit; quamplurimas autem, adhuc ineditas orbi litterario expectandas desiderandasque reliquit.

(*) *Физическое Описаніе Таврической области. Въ Санктъ-Петербургѣ. 1785 20 Года. Въ листъ.*

(**) *Tableau de la Tauride, par Pallas. St Petersburg a. 1794. 4^o*

(***) *P. S. Pallas, Reise durch verschiedene Provinzen des Russischen Reichs. St. Petersburg 1801. 2 Theile 4^{te} (mit vielen Kupfern.)*

Caucasum et regionem omnem, inter Tanain et Wolgam fluuios, ad Pontum Euxinum Palumque Moeotiden et Caspium mare longe lateque patentem, post GMELINUM et GÜLDENSTÆDTIUM, praelibatis nec absolutis obseruationibus itinerariis, quae ad naturalem Historiam spectabant fato functos, PALLASIUS etiam, postremum per Rossiam meridionalem iter faciens attingit. Plurimum vero Comes MUSSIN-PUSCHKIN, peragrato inde ab a. 1800 promontorio Caucaei septentrionali, postmodum metallifodinis per Iberiam praefectus, in Historiâ naturali Caucaei profecit: donec a. 1805 Virum eximium, antequam aliquid hac de re publici juris fecisset, praematura mors patriae orbique litterario eriperet.

Caucasum autem, cum adjacentibus regionibus Tauricâ Chersoneso minus adhuc esse cognitum, nemo est qui nesciat. Etenim vastissima regio, hinc immensorum desertorum aquâ dulci carentium fabuletis, illinc maximae molis montibus aeternâque niue rigentium alpium jugis intercepta et barbararum indomitarumque gentium subdola ferocitate periculosa, hucusque, magnâ ex parte, nostratum nemini patuit; et si qui audaciores ultro penetrauerint, his vix nisi festinante praesentique periculo turbato, ut ita dicam, oculo haec naturae adyta lustrare licuit.

Mihi, Historiam naturalem et imprimis Botanicen in deliciis habenti, factis per quatuordecim annorum spatium, variis per meridionales Imperii Rutheni prouincias itineribus, demum bis mille circiter stirpes phaenogamas, Tauriae et Caucasicis regionibus indigenas, maximâ ex parte in loco natali florentesque lectas obseruare contigit: quarum Historiae Floram hanc Taurico - Caucasicam dicaui.

Liceat vero de itineribus meis, tanquam huiusce operis origine et fundamento, quaedam fusius differere; ut sciant Lectores, ubi locorum diutius commoratus sim, ubi vero celeri et festino pede incessem, naturae thesauros praelibandi potius, quam exhauriendi opportunitatem nactus.

Tauriam primum a. 1793 adiit, defunctum nunc Comitem KOCHOWSKI, ex Poloniâ, post res praecedente anno feliciter ibi gestas reducem secutus. Ubi per triennium commoratus, totam quidem peninsulam studiose explorauit, potissimum vero districtum, oppido Karasubasar et praedio Asamat vicinum quotidianis fere herborisationibus frequentaui. Vernale a. 1794 tempus omne montibus Tauriae meridionalibus, Ponto Euxino, inde a porto Theodosiano (Cassa), usque ad ruinas antiquae urbis Chersonesi imminentibus et stirpium rarissimarum feracissimis peragrandis impendi, PALLASIO tunc in ascendendo summo Tauriae monte Tschaturdag socius. Insequentem annum ad Bosporum Cimmerium peragere iussus, plantis halophilis obseruandis praecipuam operam dedi: trajecto etiam aliquoties freto, regionem transbosporanam Taman perlustraui.

Sub initium a. 1796 Petropolin redux, quum jam in eo esset, ut Comes SUBOW, ad debellandos Persas ulciscendumque Iberiae regem copias duceret, breui tempore exercitum petere iussus sum; ut fauentibus victricibus Rutheniae armis, diuiones Caspio mari ab Occidente adjacentes, Historiae naturalis gratiâ visitarem. Majo mense, capto jam inclyto munimento Derbento, ad exercitum perueni: quem Caspiâ viâ secutus, quotidie in noua mihiq; incognita corpora naturalia incidi. Ubi ad saxum Beschbarmak ventum est, quum oppidum Baku Rutheniae armis sponte cecisset, relicto tractu littorali, loco subalpino, Kurt-Bulak dicto, ad fontes torrentium Atae et Kofutschai, quo iter ad antiquam urbem Schamachi faciendum, castra posita fuere. Quo facto, Iulium Augustumque quietae stirpium rariorum inuestigationi impendere mihi licuit. Sub finem autem Augusti, ipsas inclytae olim urbis Schamachi ruinarumque Pirsagat attigimus; Octobri vero exeunte, superatis, montibus asperis, dictae urbi oppidoque recens condito prisco nomine Schamachi nuncupato interjacentibus, ad planiora deuenimus, per quae Cyrus fluminis, relictis Iberiae montibus receptoque a dextrâ Araxe, ad Caspium mare defluit. Peragratâ planitie, ad ipsam fluminis ripam Nouembri hybernacula posita fuere.

Post CATHARINAE AUGUSTAE obitum, composito repente bello persico, a. 1797, mense Januario ab exercitu discessi, Mosquam Petropolinque profecturus. Quo redux, eodem anno Sciagraphiam ditionum Caspio-caucasicarum, fluminum Terek et Cyri ostiis interjacentium, gallico sermone conscriptam, cum appendice botanico (*) euulgavi: quae postmodum, me curante, germanico etiam idiomate, cum fufioribus quarundam plantarum rariorum Caucasi descriptionibus (**) in lucem prodit.

Anno 1798 Caucasicas regiones iterum adii et quidem tractum eo usque mihi minus cognitum, eum scilicet, qui altiorum montium radicibus a Septentrione adjacens, ab Oriente, a mari Caspio et Soanae (Terek) ostiis, Occidentem versus, usque ad Anticetae (Cuban) ostia Palumque Moeotiden extenditur. Hunc, superatis aut pulsis inquilinis, nunc, nouaccolae Rosii tenent, oppida vero Kisljar et Mosdok, Soanae fluuiio imposita, accersiti ex Armeniâ Iberiâque coloni. Totam hanc regionem, sicut Tauriam et alias Rossiae meridionalis provincias complures quotannis visitare, ut rei rusticae in colendâ imprimis moro et vite prouideatur, mei nunc est muneris.

Interea non defuit mihi occasio, Caucasi septentrionalioris etiam subalpina peragrandi. Scilicet a Georgopolitano munimento saepenumero regionem, cui Cabardae nomen intraui, districtusque adii exaduersum summum Caucasi montem Elborus positos, unde torrentes Malk, Bakfan, Podkumok et ipse Anticetas fluuius originem trahunt. In viciniâ vero fortalitii et thermarum Constantinomontanarum promontoriique Beschtau, cujus ter cacumen adscendi, et circa acidulam Narzana, stirpium inuestigandarum gratiâ, multum temporis peregi.

(*) Tableau des provinces, situées sur la côte occidentale de la mer Caspienne, entre les fleuves Terek et Kour. St. Petersbourg. a. 1797. 4^o

(**) Marschall v. Bieberstein, Beschreibung der Laender am Caspischen Meer, zwischen den Flüssen Terek und Kur &c. Frankfurt. a. 1800. 8^{vo}

In Iberiam bis iter feci: primum a. 1802, deinde a. 1805, tempore autumnali. Igitur ab oppido Mosdok, per Castellum Wladikawkas, tum per angustias, per quas Soana torrens, ex alpe Kasbek originem trahens, immani cum strepitu ruit, Portasque Caucasicas, porro trajecto Caucaſi jugo alpino Kaſſchaur, torrentem Aragum ſecutus, rectâ viâ caput gentis Tiſſin petiit. Unde omnem fere Iberiam, cum Alaniâ ibericâ (Cachetiâ), quam Alazonius (Alazan) et Cambyſes (Joer) alluunt, peragraui; in viſitandâ autem Armeniâ ibericâ (Somchetiâ) ſocius fui Comiti MUSSIN-PUSCHKIN, tunc temporis incolumi; qui, pro ſingulari ſuâ erga me beneuolentiâ, complures ſtirpes rariores, vernali praeſertim tempore ab ipſo et a botanophilis quibuſdam, Viro Illuſtri addictis, per Iberiam lectas mecum communicauit. Poſtremum iter ibericum, quamuis feſtinanter et vix a rectâ viâ, quâ Tiſſin itur, deſſectens, neque tamen ſine fructu et inſigni Florae meae incremento peregi. Etenim, praeter ſtirpes imprimis alpinas, quas ipſe legi, plantis bene multis, mihi ac- dum ignotis, ex herbario amiciff. СТЕУЕНІ, qui per biennium officio in Iberiâ detentus, tunc Tiſſi agebat, locupletatus diſceſſi. Idem Vir amiciffimus, ex Iberiâ redux, complures inſuper plantas ibi lectas, immo nonnullas, facto nuper per Tauriam itinere a ſe detectas, in Florae hujus commodum mecum communicauit.

Supereſt, ut de ratione huiusce operis et de adminiculis, quibus uſus ſum litterariis pauca diſſeram. Obſeruatum collectionumque, in itineribus comparatarum omnem ſuppellectilem, quotannis Moſquam vel Petropolin allatam, hyemali tempore digerere et in ordinem redigere ſtudiui, Bibliothecam ad manus habens amici optimi FR. СТЕПНАНІ egregiam, cui par in botanicis per Rutheniam nulla. Deinde a. 1804, opere magnâ ex parte jam elaborato, iter per Germaniam Galliamque, eum praecipue in finem ſuſcepi, ut Clariffimorum Botanicorum familiaritate et conſiliis, in propoſiti operis commodum uterer. Lutetiam vero Pariſiorum proſectus ibique comiter exceptus, perluſtratis inclytis herbariis Tournefortiano et Vaillantiano, quae in Muſeo Pariſino ſeruantur, multum in Hiſtoriâ ſtirpium Taurico-caucaſicarum, imprimis quoad

VI

Synonymiam profeci. Caeterum, praeter plantas, quas in regionibus, de quibus sermonem facio, aut ipse legi, aut ibidem ab amicis lectas, ex ficcis speciminibus bene cognitae habeo, nullas Florae inferui, ne quidem a Clarissimis autoribus commemoratas; ne peregrinos errores forte meos facerem.

Totum opus ad normam Systematis sexualis et secundum Linnaei Species plantarum, curante Willdenowio nouissime editas (*) digesti. Synonyma adduxi selectiora, Botanicorum vero Ruthenicorum, quibus tamen compilatores non accenseo, quae mihi innotuere omnia. Descriptiones adjeci fusiores vel breuiore, prout rei nouitas et difficultas, vel hallucinationes autorum, vel denique Synonymiae incertitudo exposcere uisae sunt. Icones Plantarum Tauriae Caucasiqae ineditas peculiari operi, si faueat Deus edendo, reseruau; Cryptogamicas uero stirpes, aut fegnius aut minus feliciter lectas atqae obseruatas, pro tempore omisi: ne incompleta indigestaque, curatius adornatis iuncta proponerem.

His utere, Lector, mihiqae faue. Dabam Charkouiae, mense Januario a. MDCCCVIII.

(*) C. a Linné Species Plantarum, curante C. L. Willdenow. Tom. I-IV. Berolini, a. 1797-1805. 8.